

NOTÆ GENERALES IN OPUSCULA FRANCISCI SYLVII

A BRANIA GOMITIS

Et hanc eorum Editionem.

Æ Quum est Erudite Lector ut qualiscumque Laboris mei in recensendis FRANCISCI SYLVII Opusculis, atque ordinis & dispositionis eorum hac in editione rationem Tibi reddam. Anni sunt circiter duodecim quibus cogitare cepi Rei Literariæ bono cessurum si præclarissimi Doctoris FRANCISCI SYLVII à Brania Comitis Opuscula omnia, sive ab ipso relicta, & hæcenus inedita, sive jam prius ipso adhuc vivente variis prælis edita, unà colligerem, & in unum veluti corpus redigerem. Solent enim quæ diffusa sunt & separata deperdi facilius aut negligi, quæ autem conjuncta fervari, atque etiam mutua societate veluti juvari, cum non raro variorum Opusculorum Auctor ad priora Lectorem remittat, vel etiam ad posteriora dum jam denuò priora recudit. Equidem non dubito egregium Auctorem Franciscum Sylvium id aliquando fuisse præstiturum si per vitam longiorem ea opuscula persolvere ipsi licuisset quibus actualiter incumbere dum ingenti Litterarum jacturæ factò cedere coactus est. Sed quod ipsi morte prævento non licuit, mihi suscipere visum est; ut dum ex propria penu nihil producere valeo quod ad Litterarum incrementa admodum conducere possit, ex aliena saltem, & equè referatissima, Republicam Litterariam ditare augereque valeam. Quod verò jam pridem id non præstiturum dum prima hujus consilij mihi incidit cogitatio; effecere tum mea ad varia quibus tunc occupabar distractio, tum studium me ipsum potius perficendi prius in Literis & Scientiis, quam aliis quoquomodo proficiendi, juxta illud scitum, *Multo tempore discere quod alius tradere volueris*. Et quamvis etiamnum non parùm occuper, tradendo nempe solus in Celeberrima, & verè Regulari Abbatia Rodensi Scripturam Sacram simul & Theologiam, & insuper agnoscam verissimè nihil reverè mihi temporis superesse quod non totum debeam Discipulorum meorum, ac meæ inprimis instructioni; vicit nihilominus boni communis zelus desideriumque ardentissimum virorum utroque in statu Ecclesiastico & sæculari spectabilium, qui me ad huic labori manum citò admovendam impulerunt. Itaque ipsorum consilio permotus & victus rationibus, atque divino auxilio fretus, tandem conceptum consilium ab anno circiter exequi cepi, & ipso Deo donante (à quo bona cuncta procedunt) ad optatum finem modò perduxì quamvis non omnibus numeris absolutum: quod mihi vitio non vertet æquus Lector, qui ad istud Plinij attenderit: *Nulla res consummata est cum incipit*.

Hæc igitur sunt quæ in horum Opusculorum recensione præstiti. Primò, omnem diligentiam adhibui conquirendis unde quaque istis Opusculis sive jam editis, sive hæcenus ineditis ne quod fortè novem hanc Editionem efugeret. Celebriores propterea Bibliothecas Urbis & Universitatis Duacensæ, Seminarij Regij, PP. Dominicanorum, & PP. Societatis ordinatissimas, libris referatissimas, & optimis Catalogis instructas aliasque quamplures sive intra, sive extra Civitatem Duacenam lustravi diligenter, sicut & celebriorum Bibliopolarum Officinas; ac insuper cum viris Doctissimis Sylvio supparribus, imò & cœvis ac familiaribus, etiamnum superstitibus, consilia contuli, iisque Opusculorum à me repertorum indicem exhibui; nec à sollicitissima inquisitione desisti, donec ipsorum judicio certus essem Sylvij Opuscula prorsus omnia me comparasse. Et quidem Bibliotheca Seminarij Regij Duacensis suppeditavit mihi duo manuscripta hæcenus inedita in Leviticum & Numeros ipsâ Sylvij manu propria scripta, ut præfert antiqua ad Titulum annotatio, & certò mihi constat ex aliis ejusdem Auctoris manu propria scriptis & nomine proprio signatis quæ penes me habeo, de quibus infra. Suppeditavit præterè eadem Bibliotheca Orationem Theologicam de SS. Trinitatis festo solemniter celebrando quam alibi reperire non potui. Item Apologiam egregiam pro D. Thoma Aquinate jam dùm satis raram, aliasque quatuordecim non admodum communes & quas tempus edax rerum brevi absumpsisset ac posteritati invidisset. Tandem ex eadem Bibliotheca accepi Resolutionem unam de Libero Arbitrio quam hæc habes pag. 521. sub hoc Titulo LIBERUM ARBITRIUM II. de qua vide Annotata hæc infra ad Resolutiones. Cætera, De Primo Motore, De statu hominis post peccatum, Controversias Fidei, Resolutiones Varias, Commentaria in Genesim & Exodum in Bibliothecis minùs rara, accepi ex Bibliotheca nostra Braniensis cui illa Sylvius ipse benevolentia & gratitudinis ergò donaverat. Atque hæc pauca sunt quæ de Opusculorum facta perquisitione præfanda judicavi.

Sed præterè monitum velim Lectorem varia Epigrammata & Elogia Versibus expressa (ut talia magis ferebat Sylvij ætas) & sive ejus Resolutionibus, sive Commentariis in Scripturam præfixa hæc in editione esse omissa tum quod Bibliopola necessariis & utilioribus magis intendens in eorum impressionem non inclinaretur; tum quòd reverè circa lusus istos Poeticos libris præfigendos, ingeniosos licet, nec ineptos, non ita hæc pruriat ætas: tum denique quòd de Sylvij præclarissimis dotibus & Operibus multò majoris sint ponderis judicia Eximiorum & gravissimorum Theologorum suis in approbationibus (quas propterea cuilibet opusculo addi curavi) quàm quorumvis aliorum hominum.